



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 73. Si Cajus subordinet Titium Procuratorem, ut pro se falsò juret, uter illorum sit perjurus vel incurrat pœnas perjurii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

- 270 Q. 73. Si Cajus subordinet Titium Procuratorem, ut pro se falsò juret, uter illorum sit perjurus vel incurrat pœnas perjurii. R. Silvest. putat utrumque esse perjurum, sed solum Cajum incurrare pœnas perjurii: *Texeda* apud *Dian.* P. 10. T. 14. R. 13. dicit solum Titium esse perjurum, & solum incurrare pœnas perjurii: videtur dicendum, quòd uterque sit perjurus, Cajus moraliter & mediatè, quia mandavit, Titius physicè & immediatè, quia executus est, ita *Sanch.* l. 3. c. 13. n. 26. *Dicast.* d. 3. n. 442. & alii: pœnas autem incurret solus Titius, quia hæ cadunt in eum, qui propriè perjurium ponit, hic autem solus Titius propriè jurat, & consequenter pejerat, qui physicè ipsemet & immediatè id facit, ideòque peccatum solius Titii erit casus reservatus, v.g. in *Diecepsi Coloniensi*, in qua Episcopo reservatum est perjurium manifestum.
- 271 Q. 74. Quomodo peccet, qui jurat habens consuetudinem jurandi. R. §. 1. Si sit consuetudo jurandi non falsò, quamvis consuetudinem nunquam retractaverit, non peccat nisi venialiter, quia singula talia Juramenta sunt tantùm venialia, uti suppono, & consuetudo non aggravat mortaliter, licèt postea semper advertenter juret, ita *Castrop.* T. 14. d. 1. p. 9.
- 272 §. 2. Si fit consuetudo jurandi falsò, sed inadvertenter, quam non retractavit, si Juramenta, quæ nunc fiunt, non proficiscantur ab illa consuetudine sed ex passione vel subito motu, uti processissent, licèt non adfuisset consuetudo, non erit mortale, quia neque in se, neque in causa sunt plenè voluntaria, causa enim eorum non est consuetudo, sed alius motus plenam rationem prævertens, ita *S. Th.* in 3. *Dist.* 39. a. 5. in O. Et ad *Annib.* L. 3. *Dist.* 39. q. 1. art. 1. O, *Suar.* *Sanch.* *Cajet.* v. *Perjurium*, *Castrop.*